



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

VII. Paupertas Ignatij, & Societatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

pinare, fenestras, forēsque occludere, ne quid' auræ subiret scrupulosè iubere, obruere stragulis, aestu caniculæ quæ tunc sæuiebat iam prope obrutum. Tacere ad hæc Ignatius, & pati, quamuis calamitosa remedia, & curationem exitiabilem satis aduiceret, nec vocem aut pro se, aut contra medicum hiscere, tamen dolores, sitisque furerent, totusque sudoribus nataret, dum mortem denique vicinam paraturus, commendata, vni ex patribus rerum summa, rogauit ad se admitti neminem præter ægrorum administrum; & hic demum nimium patuit, illa adiectitij caloris violenta incēdia quam stragem in eo facerent. Curritur ad Alexandrum Petronium præstantissimum medicum, & sancto viro summè beneuolum; qui decumano perculsus periculo vociferari aduersus imperitiam iuuenis medici præfidentem, stragulas omnes proicere, cubiculum pandere, frigida sæpius potare, & frigus illi vndique accire, quo paucis diebus integrè illum restituit. At vero Pontifici incredibile est quanta voluntate, iudicio omnem in partem quam pronò & facili subderetur. Ex quo se illi voto mancipauit in Ecclesiæ obsequia vbiuis gentium procuranda, nunquam hanc potius in partem optauit, quàm in aliam mitti, eius semper impulsus opperens cui se plenè deuouerat. Idque adeò verum, vt prius etiàm quàm approbaretur Societas, Lainium audiens ad iuuandos Indiæ barbaros desideria vertere, quòd excluderetur Palæstina; Ego vero, ait, neque isto, nec simili alio desiderio tangi me sentio, & si sentirem profus abicerem; mirantique dictum Lainio, Ecquid, addit ille, Pontifici voto obstringimur, quoquo versum iusserit properandi; idcirco in omnes æquè regiones propendo, nec mihi, ad me quod attinet, optabilior oriens occidente, & si mihi aliquòd procliuior animus vergeret, vt vergere te ais, torquere illum tamdiu in oppositum conarer, dum recto in cælum vertice, neutro inclinaret. Senio tandem morbisque confectus, aiebat identidem se nihilominus vt erat, si vel innueret Christi Vicarius solo baculo nixum in Hispanias iturum, imò & ad ostia Tyberina transmittendo mari fortuitam quamlibet conscensurum nauim, inermem licet, malo, remigio, & gubernaculo carentem: nec in eo parendi opere vim vllam sibi suisque cogitationibus facturum, obtemperaturum potius tranquillè admodum, & iucundè: quæ cum ex illo audiret aliquando, ex iis sapiens vnus, quibus eadem est humanorum, diuinorumque lanx, non sine aliqua sarcasmi comitate. At hæc Pater Ignati! cuiusmodi, ait, foret prudentia; cui Ignatius, imperantis esse prudentiam, non obedientis, ac si qua pars eius ad obedientem pertineat, hanc esse ne velit prudens esse, vbi desinat esse obediens.

## VII.

*Paupertas  
Ignatij, &  
Societatis.*

Erga paupertatem, quam religionis murum vocabat firmissimum, miram tenentate afficiebatur, matrem appellare solitus, amarèque vt matrem. Quare illam ab Societate, coli tam celso in gradu voluit, vt consistere non possit cum Societatis Instituto inferior; debemus enim animarum utilitatibus (qui scopus noster est) opportuna parare præsidia; ea magnam partem literarum studiis continentur, diuturnis atque perpetuis, quæ multo-

rum

rum annorum experientia vir sanctus didicerat parum feliciter cum mendicatione conuenire; aliunde veto cum lege sanxisset Societatis ministeria esse omnino gratuita, sapienti consilio statuit, destinata scholis collegia oportere annuis censibus instrui, vti etiam probationis domos, quæ sunt Collegiorum quædam initia: Professorum vero planè nullis; cum sint velut hospitia peregrinantium, stantiùmque in continuo procinctu ad peragrandas, mittentis arbitrio regiones. Sic autem communes Collegiorum prouentus colligauit cum paupertate singulorum, vt nec commoditate Collegij ditioris, quisquam sit ditior; nec egentioris tenuitate pauperior: suppeditantur omnibus ex æquo necessaria, ad vitam inter labores Instituti, mediocritate morèque pauperum fouendam, præter quæ nefas est quicquam ab vlllo possideri, ex vno in aliud collegium migranti, secum inde nihil licet adsportare, nisi tantum scripta, quod nihil præterea habeat; quibuscumque vero ad victum egerit, ad vestes, & ministeria iniuncta, ea illic in promptu habiturus, iisque vsurus non tanquam suis & dominus; sed collegio toti communibus, solo vtendi beneficio contentus. Et crescant licet accessu quolibet Collegiorum redditus annui, cuiusque demenso nihil propterea accrescit, nec eius commoditati accedit triobolus; sociorum dumtaxat augetur numerus pro ratione comæatus, singuli similiter habentur vt tenui olim re, & angusta fieri consuevit. Vnus semper idemque rerum modus, commoditatibus necessariis ab initio definitus, quibus vt semel rectè consultum est, rei propriæ ius omne excluditur; quod alioqui haud alio magis quam necessitatis aditu videmus in religiosos ordines subire. Quibus enim deest vnde suos alant, facile conuiuent in eorum imbecillitate qui hæc foris accersunt, qui ea sibi priuatim vindicant, qui necessitatem in commodum, & superuacaneum denique inflectunt. Professorum domus stabili censu sic interduntur, vt ne in sacrarium quidem templumque is, liceat; ab Collegiis vero nec illa possunt admittere, quæ stipis nomine vulgo ab aliis admittunt, quantumlibet graui arctentur inopia; aliàs confisæ liberali Rectorum caritate, nunquam totæ ex Deo penderent, nunquam spe certa humani subsidij carerent. Qua de re quotannis sub Christi natalem ex Lainij Societatis Præpositi decreto, Rectores olim præclarum iurabant, sanctumque iusiurandum, nihil ab se de temporario Collegij redditu, in professos collatum: *Testem inuoco, aiebat vnusquisque Rectorum, cum omni reuerentia Deum, qui æterna veritas est, quod ex bonis temporalibus Collegij, nihil ad utilitatem professorum, vel Domorum eorum conuersum est, contra Societatis constitutiones quæ id prohibent; quod quidem mihi innotuerit.* Præluxerat huic Ignatius, cum ingens ceræ pondus Romam domui professæ à Panormitanis Collegij patribus domo missum, adiudicauit Rom. Collegio, ex quo si vel foret in solatium ægroti petenda vini languncula, ne id quidem fieri passus est, nisi alterum tantum refundendo; aiens inter Collegia, & domos intercedere magnum chaos. Huius paupertatis suo in gradu conseruandæ, aut si quid in ea mutari oporteret, attol-

lenda magis atque adstringenda, peculiare votum solennibus quatuor professi adiungunt, *Promitto, inquit, Deo omnipotenti nunquam me altitum quacumque ratione, vel consensurum, ut que ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.* Iam quo paupertatem profecutus est affectu ignotius, eodem iucundè fructus illius legere gestiit: ex quo enim cruci Christo confixus est, præter Christum sibi nihil reliquum fecit. Exinde illi nosocomia vel apertum cælum pro diuersorio; pro veste, vilis, & aspera cannabe; deterrimum quodque corrogata stipsis pro diurno victu. Oblatas repudiare pecunias; ingestas per vim amicorum piorum beneuolam, vel erogare in egenos, vel in fortunatum abicere occupantem. Post hæc autem factus Societatis parens, eique Præpositus, sic paupertatem adamauit, nemo ut esset domi pauperior, Sacræ paginae, & sacrorum ad rem diuinam codex, cum libello de Christi imitatione, tota eius fuere supellex libraria. Torus cubiculi apparatus idem illi, quem quondam Elizæo Sunamitis instruxit *lectus, & mensa, & sella, & candelabrum.* Mensa quamuis ferè illi accumberent qui aut Romam peregrè aduenissent, aut aliquis ex primis patribus, ita erat præparca ut ei nihil posset detrahi, quin detraheretur necessario victui: itaque lepide aliquando Babadilla partem sibi paratam decerpens cibi crassioris appositi, quòdque tunc deterius valeret, facillè nocituri; subridens addidit, *Modicum veneni non nocere,* tantulam scilicet eam notans, ut si foret vel toxicum, impunè edi posset. Dispensatorem, & ministrum quandoque seuerius habuit quod recentem vnam sibi intulissent, quam in triclinio cæteris non apposuerant. Sed huic eius paupertati generosum quiddam, & nobile inerat, quod posset etiam in locupletibus laudari singulare; quantumuis enim accisa re esset, ac prope nulla; litem cuiquam ob temporarias rationes nunquam mouit, suoque iuri maluit cedere, quam ob sibi detracta, iniquiorem animum testari. Ex quo præter decus Christianæ magnificentiae, duplex lucrum aiebat proficisci; alterum caritatis cui par auri pondus nullum esset; alterum diuinæ liberalitatis de suo abundè suppletis, quod vidit vltro sua causa contemni: ac multo cauebat diligentius, ne inter se nostri de similibus iurgarentur; cumque duo Rectores de sui quisque Collegij rationibus dissiderent, nec finem facerent altercandi; repentino inuento collegiorum curam iussit inuicem mutare, ita pulchrè vtrumque sedauit. Margaritam Austriacam Caroli quinti filiam multos annos audiuit confitentem, hæc ad eum sæpe ducentos, interdum trecentos mittebat aureos, quos suo arbitratu pauperibus partiretur; at is mentem illius quanquam optimè sciret eam esse, ut nostræ quoque inopiæ, vbi visum foret, inde succurreret; nunquam inde obolum subduxit, sed fideliter ad leuandam piorum locorum egestatem distribuit, & accuratissimam de iis tenuit, accepti, datique rationem. Nec erat solum alieni munificus, quod iure suum facere potuisset: verum & de tenuitate domestica alienæ penuriæ perlibenter, necessaria suggere

suggererat. Indicarat illum Cardinalis valde opulentus nobili cuidam admodum egenti, vt aliquid ab eo subsidij posceret; huic quod non suppeteret aliud, quicquid domi pecuniæ repertum prolixè largitus est, dolens apud eum humaniter quod non esset is diues, quem sibi finxerat Cardinalis, dum eum maluerat ad se destinare, quàm eius inopiam suo facili sumptu consolari. Cauebat ad hæc multa industria, ne pauperes subleuans, eorum vecundiam oneraret: quare ad inopiam reductis præsertim si forent nobili genere; & prole grauatis, cui essent impares quotidiani artificij quæstus, reculas aliquas elaborandas dabat, & largam labori reponebat mercedem, vt quod erat opus piæ caritatis, pretium operæ crederetur.

VIII.

Cum hac paupertate, suæ nihilominus tenuitatis in iuuandis egentibus prodiga, gratum iunxit beneficiorum ac memorem animum, eumque à propriis rationibus seiunctum, ac liberum, nec enim solum profusus est gratiam, æstimauitque illam pro benefacti pretio, & magnitudine; sed eam quantum in se fuit, nullo vtilitatis admixtu retulit. Ioanni Pasqualio apud quem fuerat aliquamdiu hospes quid gratiarum rependerit, olim initio diximus; quàm benigne sua, iam cælo donati, aspectabili præsentia illum dignatus sit, confirmarique fidem, ab se adhuc in terris posito, illi datam, fore scilicet illum sine dubio saluum. De crucifixi etiam effigie, suarum eatenus comite, ac solatio ærumnarum, quam ei reliquit grati animi carum pignus: Cauellio item pio clerico, qui sibi Manresæ a grotanti victum deferebat, quod vnum habuit reliquum, preces horarias Deiparæ, tradidit: exilia fateor, sed ab nihil præterea habente, valdè grati affectus monumenta. Isabellam Rosellam, quæ illum de radiis circum ex ore micantibus Barcinone sanctum agnouerat, & multa iuuerat liberalitate, consueuerat matrem compellere, eidemque Romæ post Societatem constitutam, à confessionibus diu fuit. De Cardinali Gasparo Contareno, tanquam inter primarios summè in se benefico, quoties incideret loquebatur, quod eius potenti aduocatione Societatis confirmationem à Pontifice impetrasset: scribens vero ad Regem, & Cardinalem Lusitaniæ, Societatem, rem ipsorum vocabat, permittebatque illam eorum prouidentia, quod eam suis in ditionibus regia planè munificentia diffudissent. Duci Ferrariæ, Cardinali à sancta cruce, Proregi Siciliæ Ioanni de Vega, & Chartusianis Patribus à quibus Societas fouebatur magna significatione caritatis, obligatas æternum gratias semper professus est, ac vbi alia deessent, suis ac suorum ad Deum precibus contendit partem nominum vtcumque exsoluere, quibus se norat iis obnoxium; nec dissimiliter erga eos se gessit de Societate, qui eam aliquo singulari beneficio decorassent. Ad Xauerium quidem scripsit, non posse illius vllò vnquam tempore non esse memorem, quod viro sancto, & incredibili amore erga illum affecto, maximi præmij loco fuit. Hieronymo Natali mandauit, vt Michaëlem Turrianum velut oculi sui pupillam custodiret, cui se fatebatur ingenti obligatione gratiæ teneri: Lainio verò, quàm cuius alteri Societatem plus debere aiebat, nominabatque illum Societatis